

actionem mere transeuntem, sicut calor efficit calorem in alio. Prior modus hic non habet locum, ut ex dictis facile probari potest. Quia, ut minister per sacramentum alteri gratiam conferat, non est necesse ut habeat alium actum immanentem et vitalem præter intentionem internam dandi sacramentum, et actionem externam, in qua ipsum sacramentum consistit. Nam his positis necessario sequetur gratia in suscipiente sacramentum sine obice, etiam si minister non habeat aliam voluntatem dandi gratiam, imo licet habeat voluntatem repugnantem collationi gratiæ, dummodo retineat voluntatem dandi sacramentum; ostensum est autem, characterem non esse potentiam physicam, respectu horum actuum ministri; ergo nec potest esse potentia efficiens gratiam medio aliquo actu vitali ipsius ministri. Dices, characterem efficere gratiam actu ministri, non quidem efficiendo ipsam substantiam actus ablutionis, v. gr., vel prolutionis verborum, sed efficiendo in illo virtutem ad conferendam gratiam. Sed hoc etiam stare non potest juxta doctrinam supra traditam; diximus enim, virtutem sacramentorum non esse rem aliquam eis superadditam, sed solam ipsorum entitatem et potentiam obedientialem, ut subordinatam speciali Dei concursui, et ideo ante actionem supernaturalem, qua fit effectus sacramenti, non antecedere aliquam supernaturalem actionem, vel motionem circa ipsum sacramentum, qua recipiat virtutem ad agendum. Ergo non potest character esse potentia activa physica talis virtutis in ipso sacramento. Quia ubi non est actio realis, neque aliquid reale, quod de novo fiat, non potest esse necessaria potentia activa, præsertim propria ac physica, cum hæc ad aliquid realiter agendum ordinetur. Posterior autem modus, scilicet quod character efficiat gratiam immediate se ipso per actionem quasi transeuntem simul cum sacramento, non videtur etiam verisimilis. Primo, quia interrogo, an character sacerdotalis habeat ex natura sua hanc activitatem, ut potentia seu virtus instrumentalis ex natura sua ordinata ad hunc effectum supernaturalem; et hoc dici non potest juxta principia a nobis supra posita, partim hic, disput. 9, partim in 4 tom., disput. 34, ubi ostendimus, nullam esse posse qualitatem, quæ ex natura sua sit effectiva gratiæ sanctificantis, neque ut virtutem principalem, neque ut instrumentalem, atque hoc maxime verum esse de qualitate natura sua permanente, ut est cha-

racter. Nam si juxta doctrinam D. Thomæ non potest dari hujusmodi qualitas, quæ sit potentia effectiva miraculorum, nec dari poterit ad efficiendam gratiam. Non est enim minus supernaturale hoc opus, quam alia miracula. Item propter hanc causam negamus, datam esse humanitati Christi inhærentem virtutem ac permanentem ad faciendam gratiam vel alia miracula; multo ergo magis negandum est, dari sacerdotibus Christi hujusmodi virtutem physicam ac permanentem, natura sua gratiæ effectricem. Non potest ergo vere affirmari characterem esse in hoc sensu potentiam activam. Et revera, si character talis esset qualitas, quæ natura sua esset effectrix gratiæ vel transubstantiationis, perfectissima esset et eminentissima virtus. Unde sine causa negaretur, datam esse animæ Christi ad operandum per virtutem intrinsicam et proportionatam; si ergo illi data non est hæc virtus, signum certe est, characterem non esse talem virtutem. Alio ergo modo dici potest, characterem sacerdotalem influere physice gratiam, ut instrumentum Dei per potentiam obedientialem elevatum. Et hic modus efficiendi non involvit contradictionem, ut constat ex generali doctrina de instrumentis divinis tradita in superioribus. An vero de facto Deus ita elevet characterem ad efficiendum, satis incertum est. In primis vero licet id concedamus, nihil refert ad id, de quo modo agimus, id est, ad explicandum naturam et specificam essentiam characteris, quia illo modo, scilicet ut instrumentum Dei et per potentiam obedientialem, quælibet qualitas, cujuscumque speciei sit, potest elevari a Deo ad efficiendam gratiam; ut per gratiam, quæ in uno est, potest efficere gratiam in aliis, vel per fidem, vel per scientiam; ergo quamvis concedamus, Deum per characterem sacerdotalem efficere gratiam in aliis, elevando characterem per potentiam obedientialem, non potest inde colligi characterem esse natura sua potentiam activam, magis quam id colligi possit de gratia, aut de habitu fidei, si per hæc Deus gratiam efficeret. Et ratio est clara, quia hæc potentia obedientialis est communis et quasi transcendens in ente creato; et ideo non potest per illam colligi propria rei natura. Quod sic etiam explico: nam, si character Ordinis ex propria specie et essentia est potentia activa, necesse est ut natura sua sit propter aliquam actionem sibi connaturalem; non est autem hoc modo propter effectum gratiæ; ergo ex hoc capite

non habet, quod sit potentia activa; nulla autem actio assignari potest, quæ illi sit connaturalis; ergo nullo modo potest esse vera ac physica potentia activa. Adde præterea, verisimilius esse, characterem sacerdotalem non influere prædicto modo in gratiam, quæ datur per sacramenta, quia quantum ex doctrina Conciliorum colligi potest, tota actio ministri immediate versatur circa sacramentum, efficiendo vel applicando illud. Unde non alio modo censetur conferre gratiam, quam mediante sacramento, scilicet absolvendo, abluendo, etc.; ergo omnis alia efficientia est gratis conficta et sine fundamento. Præterea non est necessaria, quia quando minister baptismi non habet characterem, quia non est sacerdos, tota efficientia gratiæ est mediante sacramento, et minister non habet aliam; ergo idem est, etiam si minister habeat characterem, quia non habet tunc sacramentum minorem neque aliam efficientiam. Atque idem argumentum fieri potest in sacramento matrimonii, in quo proprius minister non habet characterem. Præterea illa efficientia characteris, quæ fingitur per modum actionis transeuntis, nullo modo versatur circa actiones ministri, sed circa extrinsecum effectum; est ergo impertinens ad rem moralem, et ad proprium finem, propter quem ponitur hujusmodi character, scilicet, ut minister sit deputatus ad tales actiones pertinentes ad cultum Dei.

9. *Character in ordine ad Eucharistiam et effectum ejus.* — Atque ex his constat, eandem esse rationem de efficientia characteris sacerdotalis respectu sacramenti Eucharistiæ et effectus ejus. Nam si sermo sit de effectu verborum, quibus ipsum sacramentum conficitur, actio supernaturalis transubstantiationis, quæ ibi intercedit, tota est immediate ab ipsis verbis, et minister ibi non habet aliam actionem, nisi verborum prolutionem, ut expresse dixit D. Thomas infra, quæst. 78, art. 4, atque ita character respectu transubstantiationis non habet rationem potentiæ activæ physiciæ, sed ita se habet ad transubstantiationem, sicut se habet ad gratiam efficiendam per verba absolutionis vel per aliud sacramentum. Si autem sermo sit de effectu gratiæ, quam confert ipsum Eucharistiæ sacramentum, respectu illius multo minorem concursus habet character, quia in ea actione solum se habet sacerdos, ut applicans sacramentum jam factum. Et in illo non est simpliciter necessarius character ad effectum sacra-

menti, sed solum ordinarie requiritur, ut legitime fiat dispensatio. Igitur respectu nullius sacramenti, vel effectus ejus, habet hic character rationem potentiæ activæ.

10. *Character sacerdotalis aut Episcopalis non efficit sibi similem.* — Solum posset aliquis dubitare de characterem sacerdotali vel Episcopali, si verum est, Episcopatum esse sacramentum et imprimere characterem. Videtur enim character Episcopi efficere sibi similem vel in specie, vel in genere, quando ordinat sacerdotem vel consecrat Episcopum. Ergo recte dici potest quod character Episcopalis est potentia activa ad efficiendum aliquem characterem sibi similem. Respondetur tamen, hoc etiam non habere majorem probabilitatem, quam sit in reliquis sacramentis vel effectibus sacramentorum. Primo, quia etiam character Episcopalis non concurrat ad imprimendum characterem alteri per immediatam actionem in ipsum characterem, sed solum per verba seu per materiam et formam sacramenti Ordinis. Non enim aliter concurrat ad ordinandum, quam ad confirmandum; nullum enim est fundamentum ad assignandam hujusmodi differentiam. Præterea, quia si propter solam similitudinem specificam posset character Episcopalis efficere sibi similem, sequitur primo, eadem ratione posse characterem sacerdotalem facere sibi similem. Sequitur secundo, illum characterem esse veluti propriam et principalem virtutem ad efficiendum sibi similem, sicut est calor ad efficiendum calorem. Unde etiam obiter sequitur, quod licet haberet hanc activitatem, non esset primo et per se constituendus in specie potentiæ, sicut calor, licet possit efficere sibi similem, non constituitur primo et per se in specie potentiæ. Præterea, hic modus efficientiæ est alienus a qualitatibus spiritualibus. Tantum enim habent activitatem in ordine ad actus vitales, quatenus esse possunt principia et objecta eorum; non tamen sunt activæ per modum actionis transeuntis ad generandum sibi similes; quod maxime verum habet in supernaturalibus qualitatibus, quæ sunt supra naturalem capacitatem subjecti in quo recipiuntur. Et ideo gratia non potest illo modo efficere sibi similem; idem ergo erit de quolibet characterem. Cujus signum sumi etiam potest ex eo quod simplex sacerdos potest interdum ex commissione Summi Pontificis ordinare in inferioribus Ordinibus vel etiam in subdiaconatu; et tamen tunc non est dicendum imprimere caracte-

rem alteri, per characterem quem in se habet, quasi efficiendo sibi similem, alioquin etiam subdiaconus et diaconus hoc possent facere ex dispensatione Papæ, vel etiam sine illa; sicut etiam quando sacerdos ex dispensatione Papæ ministrat sacramentum confirmationis, potestas ejus se extendit ad imprimendum characterem, quem antea non poterat imprimere, propter solam extrinsecam dispensationem et quasi moralem deputationem necessariam ad veritatem sacramenti, a quo est immediate totus effectus et impressio characteris. Atque idem argumentum sumi potest juxta probabilem opinionem D. Thomæ, quod Episcopatus non est sacramentum, nec imprimi characterem. Nam per solam extrinsecam consecrationem extenditur character sacerdotalis, ut sit potestas consecrandi vel ordinandi; ergo signum est non esse proprie ac rigorose potentiam physicam, sed moralem.

11. *De characterе confirmationis.* — Tertio principaliter de characterе confirmationis facilius ostendi potest, non habere propriam ac veram rationem potentiae physicae. Interrogo enim, an sit potentia activa vel passiva. Quod autem neutrum dici possit, ostendo, quia D. Thomas utroque modo in diversis locis explicuit rationem hujus characteris, et nunquam explicat proprium actum seu actionem realem in ordine ad quam habeat propriam rationem potentiae physicae. Primum enim in hac quaest., infra, art. 6, significat, esse potentiam passivam, dum ait, *per baptismum ordinari homines ad recipiendum alia sacramenta*; et subdit: *Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio*. Dicit autem, quodammodo, quia character confirmationis non est simpliciter necessarius, ut alia sacramenta valide recipiantur, sed solum praecedere debet ante Ordinem et matrimonium, et si commode fieri potest, ante alia sacramenta, ut congruus ordo servetur. Si ergo character baptismalis non est proprie potentia physica passiva, evidentius est, characterem confirmationis non esse similem potentiam, praesertim cum non sit simpliciter necessarius ad recipiendum aliquem actum, sed solum secundum quamdam congruitatem praerequiratur. Rursus idem D. Thomas infra, quaest. 72., art. 5, dicit per sacramentum confirmationis dari homini potestatem spiritualem ad alias actiones sacras, praeter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo, et infra dicit, hanc potestatem esse ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritua-

lem contra hostes fidei. Quibus verbis indicatur esse potentiam activam; sed constat, illas actiones non esse a characterе confirmationis, ut a potentia physice activa: ergo. Patet minor, quia illae non sunt nisi actus fidei, charitatis, fortitudinis aut religionis, vel exteriores actus, qui ab his internis procedunt, vel auxilia gratiae, quae ad hos actus efficiendos dantur; sed omnes isti actus sufficienter fiunt a potentiis animae, intellectu, scilicet, et voluntate elevatis per habitus virtutum infusarum, cum auxilio Dei excitante et adjuvante. Ergo ad has actiones nulla efficientia characteris est necessaria, nec facile intelligi potest. Ac praeterea, quamvis gratis daremus, characterem habere aliquam efficientiam in hos actus, non compararetur ad illos ut potentia, sed ut habitus infusus potentiae, et adjuvans illam ad suos actus, sicut supra in simili argumentabamur. Praesertim, quia inter hos nullus est actus, ad quem sit simpliciter necessarius character confirmationis. Omnia enim, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, possunt fieri ab homine non confirmato, solum per auxilia gratiae. Idque non solum de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria. Ergo non datur character, ut potentia simpliciter ad hujusmodi actum, sed solum ut aliquis designetur, ut sit miles ex officio deputatus ad hujusmodi pugnam, et ut hac de causa habeat a Deo paratum subsidium necessarium ad eandem militiam exercendam, in quo nulla intercedit propria ratio potentiae physicae activae.

12. *Character dici potest moralis potestas.* — Quarto, ex his constat, characterem solum posse dici habere rationem potentiae aut potestatis secundum moralem quamdam considerationem. Quia videlicet est signum ex divina ordinatione ad hoc destinatum, ut qui illo insignitus fuerit, aptus sit ad tale ministerium, sicut in lege veteri circumcisio dici poterat potentia passiva ad recipienda sacramenta illius legis; et similiter virga iudicis potest dici potestas activa ad gubernandum. Quod autem ita de characterе sentiendum sit, ita explicatur. Nam imprimis, quod character habeat aliquo modo rationem potentiae, probat ratio D. Thomæ hic, art. 2, quia per characterem datur homini aliqua potestas, nam cum characterе potest aliqua efficere aut recipere, vel alio modo, quam sine characterе possit; ergo character est aliquo modo potentia; sed ut ostensum est, character non est potentia physica; superest ergo ut tantum sit

potentia moralis; et hoc etiam modo dixit Scotus dicta quaest. 40, quod licet character sit relatio, potest habere rationem potentiae ministerialis. Quia non oportet ut talis potentia influat in actum, sed ut sit veluti conditio requisita a principali agente in ministro, ut ejus actione tanquam instrumento utatur; Deus autem, deputando ministros sacramentorum, voluit propter majorem perfectionem eos intrinsece designari per characterem. Et hac ratione dicitur character potestas moralis, cujus signum est, quia hoc non est semper universale, ut dictum est de ministro baptismi, et de ministro matrimonii, qui per solam extrinsecam deputationem et institutionem divinam habet hanc potestatem; et e contrario interdum character Ordinis non est sufficiens potentia ad aliquem actum, v. gr., ad confirmandum, vel ordinandum, et tamen adjuncta concessione Pontificis, subit rationem potentiae. Praeterea, quid simile videre licet in potentia passiva. Nam character baptismi in viris est sufficiens potentia ad recipiendum Ordinem, non autem in foeminis, et in aegrotis est sufficiens potentia ad recipiendum sacramentum extremae unctionis, non autem in sanis; ergo signum est, haec omnia pendere ex institutione, atque ita pertinere ad moralem potentiam, non autem ad physicam.

13. *Character non est proprie et essentialiter potentia.* — Quinto, ex his ulterius concludi videtur, non posse characterem proprie et essentialiter constitui in specie potentiae. Probatur ex dictis, quia character non est potentia physica activa, vel passiva; ergo vere ac proprie non est potentia, quia nulla est vere potentia, nisi quae re ipsa ac physice ordinatur ad aliquem actum; ergo non constituitur in specie potentiae, quia nulla res constituitur in specie, nisi secundum eam rationem, quae vere, proprie ac physice illi convenit. Et confirmatur, nam propterea supra diximus cum D. Thoma characterem non constitui in specie figuræ, quia haec ratio non proprie, sed metaphorice in illum convenit. Sed similiter ratio potentiae non convenit proprie characteri, sed metaphorice ac per denominationem extrinsecam, quatenus, per extrinsecum actum Dei, qui per characterem est designatus, factus est capax talis actus ex ordinatione divina, sicut aliis exemplis declaratum est: ergo.

14. *Character est qualitas primae speciei.* — Ultimo ergo dicendum existimo, characterem

esse qualitatem primae speciei, scilicet, dispositionem, seu habitum, convenientem ipsi animae, ac formaliter perficientem illam, sine ullo ordine ad operationes, sicut pulchritudo, vel sanitas est bona corporis dispositio. Ita sentit Alex. Alens., 4 part., quaest. 49, memb. 1, art. 2, et Bonav., in 4, d. 6, art. 1, quaest. 1, ubi Scot., quaest. 40, sub disjunctione defendit, si character est qualitas absoluta, esse potentiam vel habitum. Et probatur primo, quia hoc modo facile intelliguntur dicta Conciliorum; dicunt enim characterem esse signum spirituale. Ex quo imprimis colligo, characterem non dari per se primo, ut principium operandi, sed solum ad consignandum, et deputandum hominem ad aliquam actionem. Deinde colligo, esse formam animae impressam, ut ita affecta intelligatur esse consignata. Quae forma non potest melius intelligi, quam per modum cujusdam bonae et permanentis dispositionis, sicut videre licet in aliis signis corporalibus. Unde non sumitur hic dispositio, ut relative dicitur ad aliam formam, ad quam disponit in genere causae materialis, quia hoc modo non censeo characterem esse physice ac proprie dispositionem ad aliam formam, ut saepe dixi in superioribus; sed sumitur dispositio absolute, prout dicitur de quacumque forma absoluta bene ac convenienter afficiente subjectum, quomodo gratia potest dici bona dispositio animae. Neque etiam sumitur hic dispositio in eo rigore, quo ab habitu distinguitur, et significat qualitatem facile mobilem, sed prout comprehendit habitum fixum et immobilem, quamvis operativus non sit. Atque hoc modo explicata ratio characteris facile intelligi ac persuaderi potest, cum tamen in quolibet alio sensu vix possit concipi. Unde tandem confirmatur a sufficienti partium enumeratione, quia in nulla alia specie qualitatis potest constitui. Nisi forte quis dicat poni in tertia, et esse passibilem qualitatem, quatenus est terminus alicujus propriae actionis, per quam imprimitur subjecto. Sed quia hic non est locus tractandi de distinctione harum specierum, solum breviter dicitur, hanc rationem termini non sufficere per se ad constituendam propriam speciem qualitatis, quia haec ratio communis est fere omnibus speciebus, quatenus per aliquam actionem fieri possunt. Item, quia illa ratio termini solum addit denominationem extrinsecam, et ideo fortasse illa ratio passibilis qualitatis aliter expli-

canda est in ordine ad mutationes sensibiles, atque ita probabile est, illam speciem solum reperiri in qualitatibus sensibilibus.

15. *Obiectio.* — *Responsio.* — Contra hanc vero sententiam solum objici potest, quia omnis habitus disponit ad faciliter operandum, ut sumi potest ex Arist., 2 Ethic., c. 5; sed character per se ac physice non confert ad operationem; ergo sicut propter hanc rationem negandum est esse potentiam, negandum etiam est, esse habitum. Ad idem objici potest auctoritas D. Thomæ, art. 2. Ad rationem respondetur, assumptum non esse verum, si per habitum intelligamus quamcumque dispositionem permanentem, ac subiecto convenientem. Arist. autem ibi locutus est de habitibus potentiarum, qui per actus nostros acquiruntur, qui proprie sunt habitus operativi. Præter hos vero possunt esse aliquæ qualitates bene disponentes subiectum in suo esse, sine ordine ad operationem, quæ si permanentes sint, et difficile mobiles, vocari etiam possunt habitus non operativi; et de his non est necesse, ut disponant ad faciliter operandum, et hoc modo gratia vocatur habitus, et sanitas etiam solet ita vocari; hoc ergo modo intelligimus, characterem esse habitum. Ad D. Thomam responderi potest, intellexisse characterem esse potentiam improprio modo, scilicet moraliter, et ideo addidisse, illum non poni proprie et directe in specie potentia, sed reductive; hæc vero responsio (ut verum fatear) mihi non satisfacit, nam D. Thomas plane intendit characterem habere illam speciem et essentiam; alioquin nec respondisset quæstioni, nec etiam impugnare debuisset opinionem ponentem characterem in specie figuræ. Quocirca nihil invenio, quod respondere possim, ita ut satisfaciam. Rationes enim supra factæ me cogunt, ut in re non magni momenti a sententia D. Thomæ discedam, paratus ei assentire, cum primum earum solutiones invenero, quas hactenus nec reperire, nec assequi potui.

SECTIO IV.

In quo subiecto sit character.

1. *Christus characterem non eguit, ut esset Summus Sacerdos.* — Quæstio hæc potissimum tractanda est de subiecto proximo, in quo character inhæret; nam de remoto nulla est fere controversia. Voco autem subiectum remotum, personam, quæ habet characterem.

De hoc ergo subiecto certum est, de facto solum esse characterem in illis hominibus, qui recipiunt aliquod ex sacramentis, quæ characterem imprimunt; est enim character proprius effectus sacramentorum. Hinc tamen recte colligitur, quemlibet hominem secundum se esse capacem characteris per obedientialem potentiam. Quia quoad capacitatem hanc, eadem est ratio de omnibus hominibus. Imo cum homo sit capax characteris secundum animam, quæ spiritualis est, et in hoc Angelis similis, verisimile est, eandem capacitatem esse in Angelis, sicut etiam capacitas ad reliqua omnia dona gratiæ. Solet vero hic inquiri an character fuerit etiam in Christo. Sed non est quod in hoc immoremur; nam, ut recte hic D. Thomas docuit, art. 5, Christus non indiguit characterem. Quia Christus ratione suæ divinitatis excellentiori modo est veluti designatus in supremum ducem, principem, ac sacerdotem. Et ideo non indiget characterem, qui est veluti participatio quædam supremi sacerdotii Christi, et supponit imperfectionem in subiecto quod afficit, scilicet, quod sit membrum, miles, aut minister alterius superioris capitis, de quo dixi nonnulla in priori tom., disp. 46, sect. 3.

2. *Prima opinio.* — Omisso ergo subiecto remoto, de subiecto proximo potest esse prima sententia, characterem esse in corpore hominis tanquam in subiecto proximo. Quem dicendi modum solum illi tenere possunt, qui dicunt, characterem non esse aliquid distinctum ab ipso sacramento, sed ipsummet sacramentum, quatenus ex divina institutione ad hoc ordinatur, ut suscipiens illud, perpetuo maneat destinatus ad tale munus, esse characterem. Qui ergo ita de characterem sentiunt, consequenter affirmabunt, sicut sacramentum recipitur immediate in corpore, ita etiam subiectum proximum characteris esse corpus. Sed huiusmodi sententia solum ab hæreticis defendi potest, qui characterem negant, quia dicere characterem nihil esse præter sacramentum, re vera est negare illum esse, aut fieri, seu imprimi per sacramentum. Soto vero, in 4, d. 1, quæst. 4, art. 4, tribuit hanc sententiam Durand., d. 4, quæst. 1, alio tamen sensu et modo. Imprimis enim illi imponit, quod neget esse alium characterem præter characterem Ordinis; deinde refert, eum docere characterem Ordinis non esse in anima, sed in corporis membris, non quidem in illis, in quibus

sacerdos recipit sacramentum Ordinis, quando ordinatur, sicut prior error dicebat; sed in illis, quibus sacramenta conficit, scilicet in lingua et manibus. Quia virtus activa instrumentalis esse debet in proximo instrumento operationis. Unde fit juxta hanc sententiam characterem Ordinis tantum durare eo tempore, quo durat sacramentalis operatio. Quia virtus instrumentalis tamdiu durat, quamdiu durat motio principalis agentis. Verumtamen Soto non retulit fideliter Durandi opinionem; ille enim nihil eorum affirmat, quæ illi imponuntur, sed potius ea omnia infert tanquam incommoda, quæ sequuntur ex opinione eorum, qui dicunt, characterem esse instrumentariam virtutem, proportionalem illi, quæ est in sacramentis ad conferendam gratiam. Nam inde (inquit) sequitur primo, solum sacramentum Ordinis dare characterem, quia solum per hoc sacramentum constituuntur homines ministri sacramentorum; ergo ad summum in hoc sacramento solo oportebit dari instrumentariam virtutem, quæ dicitur esse character. Secundo (inquit) sequitur, hanc virtutem esse in membris, quibus sacramenta perficiuntur, propter rationem supra factam. Ac denique tertio sequitur, characterem non esse virtutem permanentem, sed transeuntem, sicut ponitur esse virtus sacramentorum. Quæ omnes illationes Durandi re vera sunt satis apparentes et probabiles; tantum autem abest ut ipse admittat ea, quæ inferuntur, quod potius (ut dixi) ea infert ut magna incommoda, sicut re vera sunt; quibus respondere fortasse potuerunt aliquo modo, qui eam sententiam defendunt; nos autem in hoc immorari non oportet, quia cum Durando existimamus sententiam illam de instrumentaria virtute falsam esse.

3. Alio tamen modo posset hæc opinio tribui Durand. in eodem loco. Nam cum ipse affirmet, characterem non esse, nisi relationem rationis, sequitur ex ejus opinione, vel characterem nullum habere subiectum, quia relatio rationis nulli inhæret; vel si illi tribuendum est subiectum denominationis, illud non esse animam, vel corpus, sed totum hominem simpliciter; nam ille est, qui destinatur, ut sit capax sacramentorum; vel certe, si aliquod subiectum propinquius assignandum est ratione fundamenti hujus relationis, illud erit corpus, quatenus in illo recipitur sacramentum, per quod homo destinatur ad aliquem Dei cultum. Et hoc videtur signifi-

casse Durand. in fine illius quæstionis, ubi explicans ritum baptismi, quem Dionysius scriptum reliquit, ita concludit: Et iste ritus exterior cum baptismo erat characterizatio sua, nec de alio characterem locutus est Dionysius. Et in solutione ad secundum, clarius concludit, non esse quærendum, in quo sit character, tanquam in subiecto, cum non sit nisi deputatio hominis ad sacras actiones active, vel passive. Sed hæc sententia Durandi tam est falsa, quam fundamentum ex quo sequitur. Unde in re nihil a sententia hæreticorum differt, ut supra etiam dixi.

4. *Characteris subiectum anima.* — Quocirca, ut certum statuendum est, characterem esse in anima, ut in subiecto proprio. Ita enim docent cæteri omnes Theologi, et clare definiunt Concil. Florent. et Trident., dum docent, characterem imprimi in anima, et esse signum spirituale. Sequitur etiam necessario ex his, quæ supra diximus de natura characteris; diximus enim esse qualitatem spirituales; necesse est ergo, ut in ea parte hominis inhæreat, quæ spiritualis est, scilicet in anima. Quia vero in anima tria sunt, scilicet substantia ejus, intellectus, et voluntas, videndum superest, in quo ex his sit immediate character, nam de his omnibus variæ sunt opiniones.

5. *Secunda opinio.* — Secunda ergo sententia est, quæ ponit characterem esse in anima, et in utraque potentia ejus, id est, in tota imagine Trinitatis. Ita enim loquebantur antiqui, quos ex parte sequitur Alexand. Alens., 4 part., quæst. 49, memb. 3, et Bonav., in 4, d. 6, art. 4, quæst. 3, ubi sentit characterem esse in utraque potentia, quamvis principaliter dicat esse in intellectu, quam in voluntate. Sed hæc sententia ab aliis rejecta est, quia re vera gratis affirmat quid superfluum, et quod nullo fundamento probari potest; cum enim character solum ponatur ut signum, quid necesse est illum multiplicare in diversis potentiis? Item contra hanc opinionem a fortiori objici poterunt omnes difficultates, quas in tertia et quarta opinione proponemus.

6. *Dispositio moralis non postulat esse in eodem subiecto, in quo est forma.* — Tertia ergo opinio est, characterem esse in voluntate. Ita tenet Scotus, in 4, d. 6, quæst. 44. Cujus fundamentum est primo, quia character est dispositio ad gratiam; sed gratia, cum sit idem cum charitate, est in voluntate; ergo et character. Secundo, quia character est si-